

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Curiositas ai
cum fonte primo

Relinque istum ludum litteralium philosophorum
qui rem magnificam ad sillabas uocant,
qui animum minuta dicendo diminuunt et conterunt

et id agunt ut philosophia pocius difficilis quam magna uideatur.
Socrates, qui totam philosophiam reuocauit ad mores,
hanc summam dixit esse sapienciam: bona malaque distinguere.

Seneca LXXII. epistola.

Erige te, Lucili virorum optime,
et relinque istum ludum literarium philosophorum
qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant,
qui animum minuta docendo demittunt et conterunt:
fies similis illis qui invenerunt ista, non qui docent
et id agunt ut philosophia potius difficilis quam magna videatur.
Socrates, qui totam philosophiam revocavit ad mores
et hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere,
'sequere' inquit 'illos, si quid apud te habeo auctoritatis,
ut sis beatus, et te alicui stultum videri sine.'

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 71.6-7
(L. Reynolds ed., vol.1, pp.210-11, ll.21-27, 1-2).